



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quellen zur Geschichte des Augustinerchorherrenstifts Frenswegen

Löffler, Klemens

Soest, 1930

Prologus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67957)

Incipit prologus in librum de fundatione monasterii Nemoris beatae Mariae iuxta Northorn.

Cum rerum gestarum ordo ab hominum memoria ocius deperat, nisi res ipsas ad futurorum notitiam literarum vivacitas reduxerit, hinc est, quod nos ordinem fundationis monasterii Nemoris beatae Mariae virginis prope Noirthorn, quod alias Vren-deswede dicitur, ab hominum notitia excidere nolentes ad Dei gloriam et piae virginis honorem ac legentium et audientium aedificationem aliqua inde, prout melius poterimus, succincte breviterque conscribere curamus, Ruth Moabitidis industriam pariter et diligentiam imitantes¹⁾. Haec namque cum messis ubertate careret, post terga metentium spicas, quae ipsorum manus effugerent, sicubi patrisfamilias in se clementiam reperire posset, colligere exiit ac sategit. Unde propter suam probitatem ac diligentiam et Boos familiae convivari et ipsi tandem matrimonio copulari meruit. Mystice Boos Deum, Ruth vero pauperem religiosum significat. Interpretatur enim Boos, in quo virtus sive in ipso fortitudo, cui in psalmis dicimus „*Diligam te, Domine, fortitudo mea et refugium meum es tu*“²⁾ et „*Deus noster refugium et virtus*“³⁾ etc. Ruth videns seu defectio vel festinatio dicitur et religiosum pauperem significat iuxta illud Threnorum tertio „*Ego vir videns paupertatem meam*“⁴⁾. Et videns se deficientem dicit „*Defecit in salutare tuum anima mea*“⁵⁾ et „*Defecit caro mea et cor meum*“⁶⁾. Unde ad Deum festinat dicens: „*Domine, refugium factus es nobis*“⁷⁾. etc.

¹⁾ Die Vergleichung mit Ruth scheint um jene Zeit den Chronisten nahelegen zu haben. Auch Hermann von Lerbeck braucht sie in der Vorrede zu seiner Mindener Bischofschronik (meine Ausg. S. 19).

²⁾ Psalm. 17, 2.

³⁾ Psalm. 45, 2.

⁴⁾ Thren. 3, 1.

⁵⁾ Psalm. 118, 81.

⁶⁾ Psalm. 72, 26.

⁷⁾ Psalm. 89, 1.

Magnus iste Boos agrum mundum, messorum angelos et sanctos habet. Qui etiam in territorio Benthem singularem locum elegit tamquam agrum primitiarum, quem adiutorio colit et gratia compluit, monasterium in eo erigens et famulos sibi in eo colligens, qui fructum afferant, et fructus eorum maneat. Hunc locum beatæ virginis Mariæ dedit et intitulavit eiusque provisioni, protectioni et patrocinio commisit, unde et tria altaria in oratorio illi erexit locumque monasterium Nemoris beatæ Mariæ virginis nuncupavit. Nec desunt arbores, segetes et aviculæ. Arbores enim sunt hi, qui spe, desiderio et contemplatione ad superna et coelestia protendunt. Segetes vero sunt, qui inibi alii fructum tricesimum, alii sexagesimum, alii centesimum in patientia afferunt. Aviculæ sunt, qui nocte et die, corde et voce simul coeli regem venerantes virginis et matris iubilantes nobilis hymnum de dulcibus canticis Syon iugiter modulantur. Hinc ergo Boos ille potentissimus et summus plenam per messorum angelos et sanctos messem colligit, qui singulorum merita etiam minutissima dispungit et copiosissima pro his præmia accumulât. Cuius, ut Matthæi tertio dicitur, *ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam et colliget triticum in horrea sua, paleas autem comburet igni inextinguibili*¹⁾. Vae ergo eis, qui se in his paleas exhibuerint.

Nos vero interim cum Ruth paupercula spicas, quæ metentium manus fugerint, exemplar scilicet pietatis, caritatis, humilitatis, oboedientiae et huiusmodi, quæ ad nos pertingere potuerunt, quamquam non omnia, sed paucula colligamus tamquam fragmenta et spicas, ne pereant, ut et inter veri Boos convivas deputari et eidem tandem in gloria desponsari mereamur iuxta illud Ozeæ secundo: „*Desponsabo te mihi in fidem et desponsabo te in iustitia et iudicio et misericordia et miserationibus*”²⁾ et Iheremiæ tricesimo primo „*In caritate perpetua dilexi te, imo attraxi te miserans*”³⁾. Si enim diversorum vitas et exempla sanctorum quamvis longe positorum caro, ut decet, affectu amplectimur et veneramur, quanto magis illorum virtutes, cum quibus viximus et in quorum labores et bona introivimus, et diligenter recolligere et frequenter relegere, affectuose ruminare, fiducialiter referre, studiose imitari debemus?

¹⁾ Matth. 3, 12.

²⁾ Osee 2, 21.

³⁾ Jerem. 31. 3.

Haec ergo parantes hunc ordinem faciamus. Primum de huius benedicti monasterii tam in temporalibus quam in spiritualibus fundatione, deinde de quorundam in via Dei vacillatione et titubatione, demum de diabolica impugnatione, sed et divina protectione.

In primo singuli habent, unde in Dei servitio sint ferventes et benefactoribus et fundatoribus grati et fideles, in secundo ignavi et rebelles habent, quod timeant et ut se corrigant et emendent, in tertio invidi et impugnatores et gravantes habent, unde terrentur et desistant, ne in corpore et in anima Dei vindictam et ne temporalem et aeternam a virgine Maria maledictionem incurrant secundum illud primi Regum secundo capite „*Qui contemnunt me, erunt ignobiles*¹⁾ et Deuteronomii tricesimo secundo „*Et vindictam retribuet in hostes eorum et propitius erit terrae populi sui*“²⁾ et Judith sexto decimo, „*Vae genti insurgenti super genus meum, Dominus omnipotens vindicabit in eis, in die iudicii visitabit illos*“³⁾ etc. E contrario vero iuvantes, promoventes et defensas obsequium Deo et beatæ virgini præstant gratissimum, unde et benedictionem sibi ab eis amplissimam accumulunt iuxta illud „*Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum*“⁴⁾.

1) 1. Reg. 2, 30.

2) Deuteron. 32, 43.

3) Judith 16, 20.

4) 1. Reg. 2, 30.